DE SANCTISSIMA CRVCE IN VERTICE OBELISCI VATICANI POSITA ET CONSECRATA

POMPEII VGONII ROMANI POEMATA

EIVSDEM DE SANCTISSIMA CRVCE ORATIO

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AD SIXTVM V. PONT. OPT. MAX.



R O M AE, Permiſſu Superiorum. M. D. LXXXVII.

Ex Typographia Vincentij Accolti, in Burgo.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD SIXTVM V. PONT. OPT. MAX.

SIXTE potens, quem non hominum tam lubrica vota,
Rectorem terris quàm Deus ipſe dedit.
Quis quàm multa tibi felix hæc debeat ætas,
Quàm multa & rerum maxima Roma canat?
Aurea Relligio quæ te ſe iactat alumno
Principe te maior ſplendidiorq; micat.
Fugerat ad ſuperos ſcelerum tremefacta furore
Iuſtitia; in terras te reuocante redit.
Inde olea pax vincta comas, atq; ore ſerena
Nos inter placidos ducere viſa choros.
Adfuit & grauida ditiſſima Copia cornu,
Et Cererem plena ſparſit vbiq; manu.
Naidos aduentu gelida preſſæ caput vrna
Plaudere Virgineas vidimus Eſquilias.
Libertas permiſſa iocis, non ebria Baccho,
Sed cui ſpectator poſſet adeſſe Cato.
Tum ſtudijs aſſertus honos, anguſtaq; vatum
Munera felici ſæpe repenſa manu.
Singula quid memorem? delubra, araria, vicos,
Reddita temporibus, reddita ſacra locis?
Sed tamen hæc laudum pars eſt quoq; SIXTE tuarum
Ad Vaticanas Crux veneranda fores.

Subditur en per te Romana potentia Chriſto,
Et cedunt Regum nomina magna Cruci.
Ipſe ſibi erepto iam Sol lætatur honore,
Et nihil hoc toto pulchrius orbe videt.
Stet precor æternum felix Obeliſcus in æuum,
Ulla nec extinguat tanta trophæa dies.
Attamen aut Auſter lapides, aut diruit imber,
Annorum longo depereuntuè ſitu.
Sæpe quoque hoſtili ferro, flammaq; labaſcunt,
Et graue dant tacti fulmine prodigium.
Aſt opera ingenij longæua in ſæcula durant,
Conſpicuumq; decus neſcia mortis habent.
Ergo ſeu moles hæc tandem ætate ſeneſcet,
Tempore ſeu nullo finem habitura manet.
Tutius eloquio vatum ſibi proroget æuum,
Doctarum & viuat munere Pieridum.
Quin modo detineat cum lumina ſola Quiritum,
Aut huc ſi feſſum quem via longa tulit.
Per terras fama circumſonet ære canoro,
Nota ſit Eois, nota ſit Heſperijs.
Interea volites populorum SIXTE per ora,
Et metuant nomen Barbara regna tuum.
Quaq; dicas Phario fidei vexilla trophæo
Expectet capiti gens inimica ſuo.
At mihi cui propius virtutum luce tuarum,
Dilecto ſuperis & datur ore frui.
Inter mille vagos tibi quos alit Albula Cygnos
Extremum ſaltem fas ſit inire chorum.
Non ſolo colitur Deus auro, aut diuite gemma

Stant

Stant etiam ſanctis dona minora focis.
Aut hedera, aut myrto, aut vario de flore corollis
Intexi templi limina numen amat.
Tu quoque Chryſolitos inter, nitidoſq; pyropos,
Tergemino irradiant qui tibi honore comas.
Quanquam inculta, tamen ſine ſerpere ſerta, nec illa
A te non placida SIXTE *repelle manu.*
Quid trepido? ſtat MONTE ALTO, *iam Sydus amicũ.*
Magnanimus renuit nec Pyra parua Leo.

VATICINIVM

VATICINIVM DE OBELISCO VATICANO.

Ode.

ARCO cum traheret Regificum noua
Per fluctus Obeliſcum Mareoticos,
Lati ſe in medium gurgitis extulit
Neptunus leuibus rotis.
Conſedit ſcopulo non procul AEolus
Ventorum aerio conditus agmine;
Viſendi cupidæ Nereides toris
Emerſere liquentibus.
Summis omne pecus carpere gaudia
Protheus egit aquis; mille natantium
Mirati ſpecies ludere nautæ
Circum Cæſaream ratem.
At monſtrum lapidis Cæruleus chorus
Vectari ſtupuit non trepida trabe,
Commiſſum pelago nec piguit diu
Fixo lumine perſequi.
Perſultare quibus plauſibus æquora,
Quos audita ſonos reddere litora?
Cum lapſæ interea Cælicolum plaga
Voci facta ſilentia.
Felici Auſoniam ſydere Regia

Moles

Digitized by Google

Moles aſpicies; tendis aui bona,
Nam te qui ſtabilis cuncta mouet Deus
Æterno arbitrio regit.
Si non te Omnipotens proueheret manus,
Nomen preſſa ſalo iam tumido dares,
Infamis ſcopulus, tranſilientibus
Eſſes & ratibus timor.
I, non iam metuens turbinis, aut noti,
Non tardata graui pondere, non mora
Defectura via, Nam quibus, ò quibus
Tu ſeruaris honoribus.
Sternat Roma licet nunc tibi puluerem
Tingendum innocuo ſanguine ſæpius,
Et te curriculo deſtinet impio
Mens non prouida Cæſaris.
Quanuis & capiti præparet aureo
Ambuſtum cinerem; (quale ſuperbiæ
Mortalis ſpecimen) ne tamen abijce
Spes felix lapis inclitus.
Olim tempus erit, quod niuea manu
Terris fata neunt, cum Latio datus
Princeps, omne tuum dedecus expiet,
Urnam & diſſipet impiam.
Ille, ille æthereo numine percitus
Diuulſam veteri ſede, beatius
Pro templo ſtatuet, ſydereâ arduum
Inflammans Cruce verticem.
Imber creber edet nomina Cæſarum
Eradetq́, Aquilo, longaq́, diruet

Sæclorum ſeries: CHRISTUS at aureis
Circumquaque nitens notis
Defendet titulos perpetuo ſuos;
Æternumq́; legi ſe propè ſanciet
SIXTUM, cui nitido nomen in æthere
Scriptum reddidit inuicem.

Proximus exoriens fulgenti Phœbus Eoo
Ad Vaticanum dum leuat ora iugum:
Incurrit radijs Obeliſci in vertice ſummo
Præfixa aurata clara trophæa CRUCIS.
Luce repercuſſus maiore abſterritus hæſit,
Et voluit retro penè referre rotas.
Ut tamen agnouit ſignum victoris IESU,
Lora mouens alacres currere iuſſit equos.
Inde oculos ſemper ſacra ad monumenta reflectit,
Et nunquàm radijs deſerit illa ſuis.

Rite colebatur pia CRUX, per templa, per aras
Cui genus humanum thura preceſq́; dabat.
Non erat at merito cælo ſuperiſquè colendæ
Commoda Cælicolum quæ foret ara ſacris.

Erigit

Erigit hanc SIXTVS cæſi de fragmine montis,
Dedicat & ſupra nubila celſa CRVCEM.
Illic ſacratam primus Sol mane ſalutat,
Illi deducunt ſydera nocte choros.

Quis nouus AEgiptum ſpoliat Dux carus Olympo,
Et vero Iſiacas numine ſacrat opes?
Non minus hæc moles Pharys ablata tyrannis,
Quam vaſa Hebreæ quæ rapuere manus.
Nec pretium exæquent argenti quidquid, & auri
Traxere innumeri per freta aperta ſinus.
Ipſe velit prædam, ſpolia & ſua cedere Moſes
Et præda, & ſpolys Inclite SIXTE tuis.
Illa breui cultu gaza eſt damnata profano,
Hæc ſtant æterno fixa trophæa Deo.

Mille labor manuum, Phariorum gloria Regum,
Romani Imperij Trabs radiata decus.
Cum prius extincti cineris premereris ab vrna,
Cur tuus aurata nunc CRVCE fulget apex?
An quæ ſit mundi monſtras, quæ gloria SIXTI?
An potius mortem reddita vita fugat?

Digitized by Google

RELLIQVIAE mortis ſummum cineres Obeliſcum,
Indignam ſedem quam tenuere diu.
Hanc meritò vita CRVX occupat aurea ſignum,
Vt quo mors ſteterat, ſtet modo vita loco.



Cæſaris, & SIXTI quàm diſpar gloria, monſtrat
Vertice quod Phariæ molis vterque locat.
Ille leuem, ſimilemq; globo ſuper erigit vrnam,
Hic dicat auratæ ſigna colenda CRVCIS.
Aut nihil, aut fuerat combuſtus puluis in vrna,
Aut nihil, aut puluis Cæſaris ergo decus.
At CRVCE Chriſtus ouat, mundumq; & tartara vincit;
Cloria Chriſti igitur, gloria SIXTE tua.



Eluuie exacta terrarum, in vertice montis
Conſedit Noe ſoſpes ab amne ratis.
Sic poſt Imperij ſedatas SIXTE procellas,
Auulſi montis pars tenet alta CRVCEM.
An trabe vti Noe mundum ſeruauit in illa,
Reddita per te orbi ſic CRVCE SIXTE ſalus?
Quis dubitet? CRVCIS auſpicijs geris orbis habenas,
Et CRVCIS ante oculos eſt tibi ſolus honos.

Viderit

Digitized by Google

Viderit hunc quiſquis lapidem dum ſenſibus hæret
Attonitis, caueat vertier in lapidem.
Hoc ne contingat, ſumma C R V C E *lumina figat,*
Mollire aſpectu nil nequit illa ſuo.

Quid ſaxum mirare Hoſpes, ſtupidusq́ teneris,
Quod vaga ſtellatus nubila tranet apex?
Et modo quo fuerit rogitas è monte reciſum,
Et modo quæ puppis tam graue rexit onus.
Quæris & artificem, per quem ſtetit ardua moles,
Quæris & inſolitæ quod fuit artis opus.
Deſine mirari, cum ſenſeris Auſpice S I X T O
Hoc Vaticano ſtare ſub axe decus.

Nilígenæ moles, quas aut Memphitica tellus,
Aut varijs ſparſas gentibus orbis habet.
Si modo S I X T I N I *decus accipiant Obeliſci,*
Cuius inauratum C R V X *tegit alma caput.*
Vt reor inuideant, Tyberini ad fluminis oram

Digitized by Google

Ventura exoptent & ſibi vela dari.
Et pedibus magni cupiant adrepere SIXTI,
Et templi ſpecies, aut decus eſſe fori.
O ſi, ò ſi veniant; vtinam Deus impleat omen,
Et maneant noſtros tam bona fata dies.
Aut ſi illæ ingenti tardantur pondere, poſſis
Illuc tu noſtras mittere SIXTE Cruces.

AD SANCTISSIMAM CRVCEM
Ode.

O Vaticanæ Crux decus areæ,
Conuerſis ad te prætereuntium
Quæ lumina, & palmas, ſacro quà
Stat radians Obeliſcus auro.
Trans alta quamuis nubila verticem,
Ipſiſq; Olympi ſedibus inſeras,
Defende terris quem dediſti
Pontificem, meritoq; cœlo
Serum redona: non ego gloriæ
Sancti Parentis proloquor inuidus,
Virtute ſed durum carere
Temporibus dubijs probata.
Regnante SIXTO namque reſurgere
Fulgentis auri ſæcula vidimus,
Terris & exactam tremendo

Iuſtitiam

Digitized by Google

Iuſtitiam ſolio reponi.
Eheu prioris flagitij pudet;
Impune ſeptas exulibus vias,
Impune ferrum, impune flammam
Vrbibus in medijs vagatam.
Sperare quid non audeat ebrium
Scelus? quid & vis, & furor impotens
Horreſcat, vt nutare cœpit
Imperij metus, atque legum?
Vindex ſed aqui SIXTVS, *ahanea*
Miſit vagantem ſub iuga Spartacum
Sumptuq; nullo, marte nullo
Reſtituit populis quietem.
Hunc longa nobis ſæcula Principem
Crux alma ſerues incolumem precor;
Quo plus moratur, plus meretur
Æthere, plus beat atque terras.

Cæſarea quondam ſurgens Obeliſcus arena
Nunc Vaticani maxima fama fori.
Munere ſto SIXTI, *ſpectandus ad aurea Petri*
Limina, fulgenti condecororq; CRVCE.
Quàm puduit vani ſordere in puluere Circi,
Tam iuuat ad ſacras præradiare fores.

Dum

Dum ſibi ſacratur Pharijs Obeliſcus in oris,
Auertit radios Phœbus, & ingemuit.
Scilicet Auctori rerum qui debitus vni eſt,
Illo indignatus ſe quoque honore coli.
At poſt quàm cineres celſa ad faſtigia tolli
Cæſareos vidit, riſit, & obſtupuit.
Nempe hominum mira eſt dementia, dignaq́; riſu,
Gloria queis vano ponitur in cinere.
Nunc dimota loco, cum per te Maxime SIXTE
Victrici moles fulgeat alta CRUCE.
Sol idem Chriſti decus omnipotentis adorat,
Seu manè exoritur, veſpere ſiue cadit.
Cuiq́; Phari Reges, Auguſtaq́; nomina ſordent,
Submittit titulis lumina clara tuis.

Præcelſi quod cernis opus venerabile ſaxi,
Audax Niliaco vexit ab orbe ratis.
Non vis ventorum læſit, non fulminis ardor,
Frangere Gothorum non valuere manus.
Seruatum magno durauit ſæcula SIXTO
Siſteret vt tandem nobiliore loco.

Illa

Illa leues inter quæ CRUX nitet aurea nubes,
Primaq́ naſcentem libat ab axe diem.
Felix omen habet, terras dum ſpectat Eoas,
Vectaq́ de Phario litore ſaxa premit.
Spondet odorati nobis Orientis habenas,
Cui Chriſti oſtentat lucida ſigna plagæ.
Spondet & Ægyptum, pede quam proculcat ouanti,
Et Solymæ noſtro proxima Regna iugo.
Qui bonus Auſpicium menti Deus obtulit alti
Principis, Auſpicij comprobet ille fidem.

Conuerſus Solis radians Obeliſcus ad ortum,
Litora victrici ſpectat Eoa CRUCE.
Illas & Chriſti vexilla intendit ad oras,
Quarum Regna graui preſſa ſub hoſte gemunt.
Accipit alma fides omen, claroſq́ triumphos
Ex illa ſperat iam ſibi parte dari.
Sperat? An & certa eſt, dum te ſibi Maxime SIXTE
Proponit? Stella peruia cuncta tua.

Ode.

ECQVID in cælum radiata tollit
Verticem moles? quibus huc ab oris,
Quaque vectata eſt trabe, quaq; tandem
Conſtitit arte?
Montis exciſi latus hoc ſuperbum
Ferre quis credat potuiſſe fluctus?
Per maris longos potuiſſe tractus
Pellere ventos?
Qui precor tantum valuere remi,
Ne ratim frangens Obeliſcus vndis
Icari exemplo, timidæq; nomen
Adderet Helles?
Appulit ſoſpes Tyberini ad oram
Fluminis, ſoſpes pepulitq; terram,
Staret vt tandem noua Vaticani
Gloria Circi.
Quin vt auratus cinerem peruſtum
Tolleret vertex, pelagi peractus,
Tantus & terræ labor, ò vetuſti
Dedecus æui.
Huc tui tandem recidiſſe famam
Cæſaris non Roma pudebat, eſſet
De tot vt palmis, tenuis ſuperſtes
Cloria puluis?

Iure

Iure rideri poteras Eoo,
Iure Germano, gelidoq; Thraci,
Si ducem videres tuum vagis ludibria ventis.
Hoc nefas ingens abolere SIXTUM
Iam vides tandem, male qui dicatam
Impio cultu, meliore ſacrat
Alite molem.
Hinc procul lethi monumenta dicis
Ite deuoti cineres Auerno,
Sede ſtent aſtris propiore vita
Lucida ſigna.
Caſarum puluis decus, vtque puluis
Nomini cedat, titulisq; Chriſti
Sola CRUX regnet pia, ſola noſtræ eſt
Gloria gentis.
Iam bene eſt omnis poſitus viarum,
Et freti, & terræ labor, eſtq; tanti
Quidquid impenſum, CRUCIS vt triumphet
Fama perennis.
Tu modo humanæ columen ſalutis
Alma CRUX, ſancta fidei tuere
Vindicem SIXTUM, placidoq; terris
Numine ſerua.

Non poterant tantam vires attollere molem
Ars niſi, & ingenium grande tuliſſet opem.

Digitized by Google

Nec poterat ſola vel Dædalus arte mouere,
Vi ſine magna hominum, vi ſine fortis equi.
Ars tamen & falli, poterantq; fatiſcere vires,
Acta niſi fauſtis res foret auſpicijs.
Omnia felici SIXTUS *dum digerit aſtro,*
Stant ſolida vires, nec cadit artis opus.

Si Conſtantinus redeat, videatq; CRUCIS *quæ*
Stant Vaticano proxima ſigna polo.
Hæc fors illa putet Tyberino in ponte, ſub armis,
Ferme eadem vidit quæ radiare plaga.
Sed tamen obſtupeat, tua quod CRUX SIXTE *coruſcat*
Longius, & dicat non mea talis erat.
Illa breui emicuit cœli per nubila tractu,
Huius manſurum ſtatq; perenne iubar.

Non procul hinc, vbi ſydereo ſe attollit olympo
SIXTINA *moles nobilitata* CRUCE.
CRUX *Conſtantino quondam inter nubila fulſit,*
Cum tulit infidum Tybridis vnda ducem.
Una eademq; CRUCEM *cæli plaga tollit vtramque;*
Illa breui, hac longo tempore fixa manet.



Deuicti monumentum orbis quod maius habebat
Rerum Roma potens, hic Obeliſcus erat.
AEtheris at domiti CRVX eſt illuſtre trophæum,
Lucida quæ nobis fecit ad aſtra viam.
Vt decet ergo alto tellus concedat olympo,
Sic lapis ætherea ſubſit vt iſte CRVCI.

AD ALEXANDRVM CARD. DE MONTE ALTO SIXTI V. PONT. OPT. MAX. NEPOTEM.

Ode.

QVO non egentem laudis Auunculum
Qui iura terris, qui dat & ætheri
Sument ALEXANDER Camœnæ
Ferre pio ſupra aſtra cantu?
Tu MONTE ab ALTO Sydus amabile
Plebi reſulgens, ingenium vagum
Ceu Caſtor, aut Pollux per vndas
Dirige, nec ſine Dædaleos

Auſum volatus nomina vitreo
Donare ponto: Vicit amor calens,
Virtutis æternæ, rapitq́;
Mente noua trepidantem Apollo.
O quos per amnes, quæ nemora, & ſpecus,
Quas inter erro dulce canentium
Vatum choreas; Ecquis audit?
Siue lyram redeunte plectro,
Seu tibiam acrem, ſeu ſtrepitum tubæ
Arma arma conclamantis? At auia
Quod nomen Echo? Io triumphe
Reddit, Ioq́; triumphe SIXTO.
Fauete linguis, me quoque Principis
Sacro triumpho plaudere agit furor,
Eritq́; vox quæcumque, SIXTO,
Decet Io, ter Io triumphe.
Fas reſtitutum eſt Imperium mihi,
Metumq́; legum, Pacis & vberes
Cantare laudes, atque læta
Meſſe datas iterare fruges.
Fas & beata tecta Puerperæ
Longè ſonantis litus ad Adriæ,
Fortemq́; pro Chriſto phalangem
Virgineo titulo decoram.
SIXTVS quieti, SIXTVS honoribus
Prouidit Vrbis, limite nunc vias
Pandens aperto, nunc frequentes
Reſtituens, & ab hoſte tutas.
Hic flectit amnes, hic domat aſperas

Cautes,

Cautes, rimulis hic trahit è iugis
Per ſaxa, perq; arcus, paternis
Naida non memorem cubilis.
Hic Uirginalis ſtramina conſcia
Partus, ſacello ſubijcit aureo;
Cunabula ò diuina, Regum
Et thalamis precioſiora.
Quanquam gigantum non ſuperabilis
Moles lacertis, auſaq; Principum
Nulli priorum, Uaticanas
Ante fores moderante SIXTO
Perrexit: illic Solis ab impio
Traducta in aram munere nobilem,
Terris, adorandumq; ab alto
Æthere, trans nebulas ſalutis
Inſigne gaudet tollere, gemium
Locarit imis, an ſuperis Pater
Diſcrimen obſcurum, patentis
Ambigua regione cæli.



Sacratum Soli ſaxum hoc immane, ſuorum
Traduxit decori Martia Roma Ducum.
Nominaq; incidit non duratura per æuum,
Et cinerum vano iuſſit honore coli.
Bina ſuperſtitio tenebris damnauerat atris
Roboris humani nobile, & artis opus.

Eruit

Eruit in lucem QVINTI mens prouida SIXTI,
Per quem ſtat medio montis imago foro.
Sed prius inſanos ritus, cultusq́; perdidit,
Et voluit Solem cedere Chriſte tibi.
Proq́; leui poſuit CRVCIS aurea puluere ſigna,
In mortis vitam ſubſtituitq́; locum.
Hoc decus æternum eſt, fidei quod laude perennis
Nititur, & veri ſurgit honore Dei.
Dumq́; fides, dumq́; ipſe Deus lapis iſte manebit;
Audeat inuictam quis violare CRVCEM?



Cum ſacra Cæſaribus ſtaret Nilotica moles,
Obſcuro iacuit ſemiſepulta loco.
Undique nec claro radiabat Apollinis igne,
Quærebatq́; diu neſcius hoſpes, vbi eſt?
Nunc medio ſacrata foro, ſic obuia Soli,
Gentibus & cunctis conſpicienda nitet.
Ille nec vt radios auertere poſſit acutos,
Nox niſi purpureum contegat ante diem.
Nec prius his Petri ſit fas, ad limina votum
Soluere, quàm ſtupidas nobile ſiſtat opus.
Quid tibi pro tanto reddatur munere SIXTE?
Per gentes nomen Sol ferat ipſe tuum.

Et ſaxum

Et ſaxum, & montes, & ſydus ſub CRVCE *cernis,*
Diſce quid hæc Lector ſymbola trina notent.
Styx lapis eſt cultu tetri damnatus Auerni,
Cæſaribus, Soli ſeu ſtetit ille ſacer.
Montibus humanæ ſignatur gloria vitæ,
Qua tumet, & tollit mundus ad aſtra caput.
Sydere, felicis regio monſtratur olympi;
Hæc tria ſunt almæ ſubdita Regna CRVCI.
Styx domita eſt, mundus ſeruatus, apertus olympus,
Commodior poterat quis CRVCIS *eſſe locus?*

Hic vbi verſicolor ſe fert ad ſydera moles,
Sublimis nitida cui CRVCE *fulget apex.*
CRVX *eadem pleno quondam eſt deriſa theatro,*
Cum tulit auerſi membra cruenta ſenis.
Spectatorq; fuit ſacrati funeris ipſe hic,
Qui modo fert vitæ lucida ſigna lapis.
Illius & forſan cuius nunc ſeruit honori
Eſt lita ſanguineis Meta ſuperba notis.
O pietas, ò cura ſagax, ò mens tua SIXTE
Viuida, & ò dignum Relligionis opus.

Digitized by Google

Barbara non hoc eſt lapidum miracula mundo,
Ponere ſpectandas aut Orientis opes.
Hoc eſt in lucem fidei argumenta referre,
Erigere & ſummo vera trophæa Deo.

Dimicat ad pontem dum Flauius, æthere ab alto
Icta repercuſſit Tybridis vnda CRVCEM.
Nunc eadem ſub parte poli micat altera, ſors et
Altius, imperio Maxime SIXTE tuo.
Quàm par auſpicium? Victoria venit ab illa,
Hac ouat impura de Styge ſancta fides.

SIXTE gigantæis non ſaxa mouenda lacertis,
Principe te faciles vidimus ire vias.
Cum Pharius repſit fulgentem Obeliſcus ad ædem,
Gaudens inuictæ ſignifer eſſe CRVCIS.
Quæ potuit tantæ motum dare machina moli?
Quoue rotæ auxilio, quoue rudente trahi?
Præſtitit hoc tua SIXTE fides; huic ſedibus imis
Eruere, & montes tranſpoſuiſſe datum.

Erectam

QUI vetera aſpiciet Romæ monumenta ſuperba
Marmoreos arcus, templa, theatra, domos.
Atriaq; & latas imitantes oppida Thermas,
Conſurgit gemino quæq; Columna foro.
Præferat eductum ſupra nubes Obeliſcum,
Quem Vaticano SIXTE ſub axe locas.
Sectilibus laterum teſtis, aut paupere toſo
Stant reliqua, aut lapidi iungitur arte lapis.
Mille laborarint licet hac in mole lacerti,
Vnum opus eſt, vnum pondus, & vna ſilex.
Viderit hanc quiſquis, cælo eduxiſſe Gigantes;
Pygmæa dicet cætera ſtructa manu.

AD ASCANIVM COLVMNAM S. R. E. CARDINALEM AMPLISSIMVM.

Ode.

FLOS, & ò ſacri COLVMEN Senatus,
Siue materna ROSA fragrat VRSAE,
Siue ſe fultum patria fatetur
Ille COLVMNA.
Nec minor laudum titulis tuarum,
Pulchrior multò quibus eniteſcit
ASCANI, velat tibi quæ decorum
Purpura crinem.

D Ecquid,

Ecquid, vt luſtro Tyberim ſecundo
Gadibus longè rediens ſalutas,
Roma per ſeptem tibi viſa SIXTO
Principe colles?

Solis extremo propior cubili
Imperi audiſti miſeros tumultus,
Dextera laìe fureret cruenta
Cum vagus Exul.

Vidimus fracta trepidare lance
Virginem, legum data cui poteſtas,
Perq; candentes volitare nubes
Enſe relicto.

Impudens terras furor occuparat,
Impudens ferri rabies, neq; Vrbes
Ciuibus tutæ, neq; erant paternæ
Rura colonis.

SIXTVS *Aſtreæ nimium labanti*
Vindicem ſe ſe tulit; hic ab ALTO
MONTE *deductam ſtabili locauit*
Sede timendam.

Inde Pax latis ſubito refulſit
Auſonum campis, & alumna Pacis
Protulit ſpicam Ceres, & beatum
Copia cornu.

Vrbs in Auguſtam ſpeciem reſurgit
Ædium cultu, ſpatijs viarum,
Fontium riuis, CRVCIS *excitatis*
Aucta trophæis.

Clara nunc proles Helenæ ſuorum

Temporum

Temporum gaudet redeunte vultu,
Gaudet & Signi ſibi quod ſalutem
Oſtendit honore.

Quid ſoni fallax popularis aura
Ventilat mentes? patrios quid ille
Marmore incidit clypeos, & atris
Stemma ſepulchris?

Quæ virum terris volitant per ora
Urit illuſtres animas Auernus,
Quas & obnubit taciturna fama
Clarat Olympus.

Non leuis faſtus ope, non fugacis
Gloriæ penna, fidei ſed alma
Igneo curru ſuperante ventos
Itur ad aſtra.

Quale ſpectaclum tibi Vaticanos
Ad gradus ingens Obeliſcus, Urbem
Cum Patrum preſſus, Populiq; turba
Nuper iniſti.

Stabat ad læuum latus alta Moles
Nobile inuictæ fidei trophæum,
Dexterum ſpirans fides tenebas
Ipſe COLUMNA.

Voce te plaudens manibusq; Roma,
Tu ſalutaſti pretium Salutis,
Præferens Oſtro monumenta CHRISTI,
Signaq; Vitæ.

Digitized by Google

ERECTAM manibus vides Gigantum
Molem : ſtet prope Pelion, iacebit.



Caduntur montes, populi laſſantur, & vrbes;
Aſſiduus durat ſaecula longa labor.
Prouehitur pelago moles mirantibus vndis,
Romulea exceptum terra tremiſcit onus.
Erigitur, ſtupet artis opus natura potentis;
Nec minus ingenium, quàm valuiſſe manus.
At poſt tot tandem terraq; mariſq; labores,
Quæ lapidis poſiti fama, quis vſus erit?
Sublimi cinerem ſuſpendit culmine Caius
Cæſareum; tanti num fuit ille cinis?
Hæc ille; At SIXTUS quo nunc ſe Principe Roma
Iactat,& excelſum condit in aſtra caput.
Sede mouet veteri minitantem cælo Obeliſcum,
Atque leui lapſu ſidere cogit humi.
Attrhaitur, ſtrident axes, tortiq; rudentes,
Subiectum trepidat, nutat, hiatq; ſolum.
Ante fores templi ſtratus per iugera terræ
Siſtitur; & ſummi iam videt ora Patris.
Celſa ſtrues trabium ſyluis congeſta Latinis
Funibus armatur, flammi feriſq; rotis.
Quadrupedante forum ſonitu quatit vngula, circum

Machina

Machina centenis vectibus vrget opus.
Saxum immane, ingens, magno plaudente theatro
Tollitur, & ſenſim nubila ad alta ſubit.
Stat tandem, Chriſtiq; vehit ſuper æthera ſignum,
Supponis cui tu ſtemmata SIXTE tua.
Auro cuncta nitent, ternis cum Montibus Aſtrum,
Et CRVX è ſumma cuſpide diradians.
Conferat his operum Caius monumenta ſuorum
Non vno cedent nomine SIXTE tuis.
Illa lapis, Mors, Vrna, Cinis, Styx: iſta Trophæum
Vita, Decus noſtrum, Sydera, & ipſe Deus.

AD MARIANVM PERBENEDICTVM EPISCOPVM MART. ET VRBIS GVBERNATOREM.

Ode.

EXACTVS tandem labor annuus Auſpice SIXTO,
Stans Obeliſcus ouat.
Garrula conticuit diſcordis fabula vulgi;
Res facit ipſa fidem.
Ille quibus Moles dicebat viribus ingens
Eſt remouenda loco?

Alter

Alter vbi ingenium, quo non ruitura per auras
Pendeat aerias?
Vulſa ſolo eſt, ſenſimq́ leui per nubila lapſu
Ducta reſedit humi.
Aſſurgensq́ iterum nitidis caput intulit aſtris
Præradiata CRVCE.
Multa timor fingit ſibi dura, ſed arguit ille
Degeneres animos:
Peruia virtuti ſunt omnia, peruia SIXTI
Auſibus egregijs.
Quanta per Auſonios tempeſtas iuerit agros
Vidimus heu miſeri;
Latronum circum fremerent cūm tela, nec vllus
Legibus eſſet honos.
Cuncta tamen Princeps ſcelerum iuſtiſſimus Vltor
Rettulit in melius.
Qualis vbi hyberna ſe contraxere procellæ,
Delituitq́ polus.
Ecce potens Auſter gelido quatit aera flatu,
Frondiſonumq́ nemus.
Cuncta rapit, ſcindit nubes, verritq́ per altum,
Et redit alma dies.
Reddita Pontificum ſacro reuerentia ſcæptro,
Reddita Pax populis.
Tu teſtis MARIANE Vrbis cui magnus habenas
Credidit ille Parens;
Nec tantum teſtis, ſed pars, operiſq́ miniſter
Concelebrandus eris.
Præſide Iuſtitia te namque, & Vindice Recti

Publica

Digitized by Google

Publica parta quies.
Quis canit Alcidem, Nemeæ, nigri aut Erimanthi
Qui fera monſtra domat?
Audet quis memorare Iouem? deiectaq; cælo
Corpora Terrigenum?
Hæc pueri narrent mentes quo carmine dulci
Detineant vacuas.
At SIXTO ſolidæ dentur præconia laudis,
Nec ſimulandus honor;
Grataq; ſpectabit dum Poſteritas Obeliſcum
Tollere in aſtra Crucem,
Qua Vaticano ſeruat duo lumina colle
Sacra humus, adijciat.
Qui Molem hanc ſtatuit, quondam felicia terris
Sæcula reſtituit.

Temporibus variè cum ſis ornatus auorum,
Et tibi nunc nitida ſtet CRVCE fuluus apex.
Dic precor è cunctis mage quo læteris honore,
Pulchrius & quando viſus habere decus.
Si Pharius voces Obeliſcus reddere poſſit,
In tales ſoluat ſe lapis ipſe ſonos.
Vána ſuperſtitio viſa eſt adſurgere Soli,
Cum pariter Domino ſeruiat ille meo.
Compunctum puduit titulis Regalibus eſſe,
Quos abolent libro Vita Deusq; ſuo.

Nunc

Digitized by Google

Nunc niteo, famulorq́ libens, cupioq́ videri
Cum CRVCIS auricomo vertice ſtemma gero.
Pro quo tanta pio debetur gratia SIXTO,
Soluere me vt nullo tempore poſſe rear.
Quod licet, inciſum ſeruabo in ſæcula nomen,
Et pro mille mihi Regibus vnus erit.

Molem inſtar montis transferri te duce SIXTE
Vidimus, in medio conſtituiq́ foro.
Quàm facilè diuulſa ſolo caput extulit; atque
Detexit feſſas ſæcula longa baſes?
Inde leui motu ſenſim de miſſa pependit
Aera per vacuum, nec graue ceſſit onus.
Prona momordit humum, ſpeciemq́ imitata triumphi
Funibus ad Petri venit adacta fores.
Surgere iuſſa iterum, propius reſpexit Olympum,
Et ſtetit illuſtri ſuſpicienda CRVCE.
Non pila ſic ludens tenues iactatur in auras,
Non ſic verſantur roſcida poma manu.
Pondera iuſſiſti Pater vt tu tanta moueri,
Et ſus deque nouas ire, redire vias.

AD

Digitized by Google

AD IOAN. BAPTISTAM ALBANVM PATRIARCHAM ALEXANDRINVM.

Ode.

ET dulcis cytharæ ſono,
Et ſacrare iuuat carmine debito
Cæli conſpicuum decus.
Atqui nos humili quòd pede ſerpimus
Moles tranſuolat ardua;
Nec SIXTI titulos, claraq́ poſſumus
Aſtris facta reponere.
Tu, quem, ALBANE, ſacro largius abluit
Felix gurgite Pieris,
Cantabis melius Principis Optimi
Laudes; ſiue furens ſcelus
Non ficto cohibet ſupplicij metu,
Siue in præmia pronior
Virtutis ſtimulos vrget, & ingeni,
Seu latas aperit vias,
Et Delubra dicat nubibus æmula;
Seu nunc per caua montium,
Nunc iactis latices arcubus inuehit;
Quidquid denique ſeu facit,
Siue alto meditans pectore concipit.
Ne verò ætherea CRVCIS,

Digitized by Google

Ne quidquam nitidis præſer honoribus,
Atque ingens Obeliſci opus
Tranſmitte in populos, longaq́ ſæcula.
O de Regibus, vltima
Aeſtiuæ Meroes quos celebrat plaga
Fortuna nimis ebrius
Dulci, qui populos inſtituit nouis
Inſudare laboribus
Primus, nec ſilicem frangere montium
Obluctantem adamantino
Scalpro, nec veritus pondera, & improbi
Saxi culmina, non quibus
Atlas ſufficiat, non comes Hercules;
Quæ vires minuant Gygis,
Laſſent Rhete tuas, Encelade & tuas.
Quod monſtri timuit genus?
Mortales operi qui appoſuit manus,
Seris vnde nepotibus
Vſus nullus erit poſt tria ſæcula?
At Soli dabitur vago
Donum: Quò cumulet ſcilicet impium
Audaces animos ſcelus:
Nequidquam ſapiens gramineis Deus
Pratis mite dedit ſolum,
Terrarumq́ apices cautibus extudit
Duris, ſi ſoboles Adæ
Naturæ ſtabilem dimouet ordinem.
Limoſi ſoboles Adæ,
Quæ tentare iuuat vincere pertinax

Nil

Nil durum atque nefas putat.
Imponat rapidis fluminibus iugum;
Fontes, ſi lubet auehat,
Neptuni è medijs eruat horrida
Regnis Acroceraunia.
At grates ſuperum reddere nos Patri
Sacratus lapis admonet:
Captis namq; malis optimus exitus
SIXTI munere contigit:
Et Soli tenebras ſplendidioribus
Offudit radijs CRVCIS,
Et Regum voluit, ſceptraq; Cæſarum
Chriſto cedere; frendeat
Inter ſtagna Nero quamlibet ignea,
Tandem mancipium Petri,
Quem toruis dederat luminibus neci.

Latè Fama vola; ſi gentes vnde rogabunt
Aduenias; adſum dicito ab Vrbe Remi.
Si quis ibi rerum poſcent ſtatus; Optimus adde
Ad priſcos reuocat ſæcula SIXTVS auos.
Ecquid forte noui quærent; de pluribus vnum
Tu refer, in Pharia CRVX pia Mole nitet.
Quanta petent Moles? Tu reſpondeto Venite,
Vix ſibi cum aſpicient lumina crediderint.

Digitized by Google

Hæc quæ naturam Moles facit arte minorem,
Tempora quæ noſtris cedere cogit auum.
Cuius apex primos Hyperionis excipit ortus,
Et ſubiecta videt nubila ſæpe vaga.
Cui ſi ſurgat Atlas metuat ſupponere dorſum,
Audeat Alcides nec dare feſſus opem.
Præferat AEgiptus tumulis quam Barbara Regum,
Et Mauſoleo Caria pigra ſuo.
Inclita quâ Rhodij decreſcit fama Coloſſi,
Et Polycletei gloria priſca Iouis.
Hæc non voce poteſt exæquari ardua Moles,
Tam vaſti non vis ponderis aure capi.
Illam quæ cupitis cognoſcere, currite gentes,
Currite, vos longum nec remoretur iter.
Lumina ſurpuerit vobis cum feſſa tuendo,
Lumina tum credent vix tamen ipſa ſibi.

AD OBELISCVM VATICANVM.
Ode.

O Stellis Obeliſce addite lucidis,
Quondam Sole ſacer, nunc radians **CRVCE;**
Cur tot cladibus Vrbis
Te liquere ſuperſtitem

Immanesq;

Immanesq́ Ceta, crebraq́ fulmina
Contorta in veterum perniciem Deum?
Veri nempe futurus
Solis gloria, Barbaram
Viciſti rabiem, atque æthereas minas:
Sed non ante nouis auctus honoribus
Fulges, numina terris
Quàm SIXTVM dederint bona.
Fis ſublime decus tu modo Montium,
Imponente ſacrum Principe vertici
Vexillum, vnde ſalutem
Humanum meruit genus.



Gloria Chriſtigenum CRVX aurea, terror Auerni,
Qua luit innocuus crimina noſtra cruor.
Vnica præniteas cum Spes mortalibus ægris,
Indigeatq́ tuo terra patrocinio.
Quid ſacrata facis vacua inter nubila cæli?
Tam procul à terris cur pia ſigna tenes?
Nunquid vt es, Clauemq́ vocant te carmina vatum,
Aethereas nobis vis reſerare fores?



DELICIAE Moles fuerat quæ vaſta Neronis
Vincta Petri ſacros ducitur ante gradus.
Sic Nero dat Petro pœnas, ſic iſte triumphat,
Captiuoq́ ſuo victor ab hoſte redit.

AD SIMONEM CECHINVM AVDIT. CONTR. VTR. SIG. REF. ET ROMANI GYMNASII RECTOREM.

Ode.

VERA canis CECHINE; CRVCIS quæ Regia Moles
Vexilla tollit æthere,
Sydere felici venturum ſub iuga CHRISTI
Præmonſtrat Orbis ambitum.
Diuinæ ſobolis redeunt oracula menti,
Nullo eximenda ſæculo.
Cum procul à tellure vehar ſublimis in altum,
Ad me traham inquit omnia.
Grande CRVCIS meritum, Solymi cui Montis origo
Vertex rigatus ſanguine.
Tunc hominum genus omne trahi ſe ſenſit ad aſtra
Vi præpotentis Arboris,
Non ſecus ac Chalybem adducit Magneſia cautes
Laxis reuulſum nauibus.

Quàm

Digitized by Google

Quàm bene CRVX SIXTI ſimulacrum eſt illius? impar
Nec forſan auſpicium gerit?
Aſpice vt Eoos radians hinc proſpicit ortus,
Inde Occidentis litora,
Vtq; in vtramque Poli protendit brachia partem,
Boream, Notumq; ſentiens.
En age, Phœbei Dux agminis, omine fauſto
Excire Muſas appara.
Neſcio quid magni promittit viuida Virtus
Bene Auſpicati Principis.
Iamq; tuba grauiore opus eſt, grauiore cothurno,
Æquentur vt res carmine.
Vrbs ſibi iam metuit ſcelerum quæ impura vorago
Lacuq;, & Alpe cingitur.
Caſpia Regna tremunt audito nomine SIXTI,
Et turbat Euxinum mare;
Quæq; manus nuper cognato ſanguine tinxit
Britannica horret Iezabel.
Quo ſe cumque feret ſanctæ CRVCIS Alite, Victor
SIXTVS redibit, ceu Pius
Flauius, hæc eadem bello cui Teſſera ſignum,
Vindexq; CHRISTI Heraclius.



QVI ſpectare CRVCEM Chriſto pendente refugit
Sol, roſeum condens nube nigrante diem.

Aſpicit

Aſpicit hanc latus radiata in culmine Molis,
Quæ ſteterat quondam nomine ſacra ſuo;
Nec tantum vero gaudet concedere Soli,
Quòdque aureo felix vertice geſtat onus.
Sed vadens, rediensq́, cadens, & ab æquore ſurgens
Conuerſos radios ad pia ſigna tenet.
Hinc vbi de ſeptem ceciderunt collibus vmbræ,
In Pharia monſtrat cuſpide Roma iubar.

Aſpice quàm lætum collucet nubibus aurum,
Aere quæ vacuo pægmata clara nitent.
Sancta prope & terris, prope CRUX & fulget Olympo,
Mortalesq́ vocant, Cælicolæq́ ſuam.
Subdiderant illi prono ſe vertice Montes,
Lapſa polo Stella eſt, inſeruitq́ comas.
De CRUCE SIXTE tua, Tellus cum certet, & Aether
Lis poſita in medio eſt; Dic mihi cuius [illegible]it?

AD IOFREDVM LOMELLINVM
VTR. SIG. REFER. ET CAMERAE APOST. COMMISS. GENERALEM.

Ode.

MOLES ſuperbo nomine Cæſarum
Contaminatis auſpicijs ſacra,
Transfertur ad veros honores.

Magnanimi

Magnanimi pietate SIXTI.
Fulua coruſcat ſummus apex CRUCE,
Globo remoto; Sydus & aureum,
Terniq; LOMELLINE Montes
Condecorant monumenta vitæ.
Quicumque auiti ſtemmata ſanguinis
Chriſti triumpho ſubiugat, edocet
Qua mente vulgaresq; faſtus
Deſpiciat, Dominiq; ſola,
Sic glorietur Paulus vt in CRUCE;
Ut Paulus alto conſilio Deus
Quem legit. hoc vt Chriſtianæ
Militiæ decus explicaret.
Laiè per oras: Quàm iuuat ò, genu
Curuare, ab ipſo cum micat AElij
CRUX pontis ingreſſu, domorum
Mille ſuper glomerata tecta.
Quàm cum ſacratum contigimus forum
Eſt dulce greſſum ſiſtere, nomina &
Spectare in auro ſculpta CHRISTI,
Sculpta CRUCIS quoque, ſculpta SIXTI.
Cur hanc Quirites, dicimus, arduam
Tot ſtare paſſi ſæcula, & impiam
Molem, & profanatam, & piorum
Sanguine ſorte litam parentum?
Cur & Getarum continuit furor
Manus ab illa, Regna per Auſonum
Laiè vagatus? nec triſulco
Prodigium dedit iſta telo?

F *Seruata*

Seruata noſtro eſt integra ſæculo,
Seruata SIXTO; Principe quo Fides
Non ante per viſos honores,
Perq́ nouos titulos triumphat.
Namque orbis olim vertice aheneus,
Terra aut redactæ ſub iuga Romuli,
Fulgebat, aut Solis figura,
Aut cineris male olentis vrna.
Nil non profanum quidquid erat fuit;
Longeq́ Princeps iure faceſſere
Edixit, vt ſigno Salutis
Terga darent monumenta lethi.
Illuſtris, ò te quam modo cernimus
CRUX alta cælo brachia tendere,
Nubes colorantem propinquas
Luce repercutientis auri.
Tu ſpes Olympum quò propius vides
Hoc maior ægris gentibus; igneam
Tonantis exarmare dextram
Namq́ potes, rapidumq́ fulmen
Arcere terris: Poſcit opem tuam
En Roma ſupplex; vna ſed omnium
Stat ſumma votorum, beatum
Æuum agere imperitante SIXTO.
Eheu fideli concutimur metu
Nos ne relinquat: Non patitur moras
Matura virtus; atque cælo
Ille viam properante penna
Affectat: At tu Siſte precor, precor

Inſigna

Digitized by Google

Inſigne vitæ, ſi ſcelus arcuit
Tumultuoſum, ſi labanti
Reddidit Imperio ſalutem;
Si Pax per illum, ſi Pietas viget
Tuq; irrepertis creſcis honoribus,
Longæuus in terris moretur,
Canitie & venerandus alba.
His pro benigno Principe feruidis
Votis peractis, diuidimus gradum;
Te SIXTUS ad commiſſa poſcis
Munera, peruigilesq; curas,
Quà fulta centum porticibus domus
Somniculoſo non hebet ocio;
Me miſcet Ordo Vaticanis
Rite choris minimum ſodalem.

Petro Cede Nero; De te viden ille triumphat,
Exornat ſpolijs & ſua templa tuis.

Triſtius infernis Nero nil audiuit in vmbris,
Sacrari Petro quam monumenta ſua.
Quàm vellet reuocare CRUCEM? ſed & ipſa Neronem
Perfodit illa eadem dum monumenta premit.

AD LVDOVICVM DE TORRES VTR. SIG. REFER.

Ode.

CVI pia non quatiunt cor gaudia? Quis calens **IESV**
Amore dulces lachrimas coercet?
Aut quis tam placido non æthere fert manus ſupinas,
Summoq́ ſoluit gratias Parenti?
Stat lapis Aerius ſacro caput implicatus auro,
Regum quod altis prænitet coronis.
Sublimi vertex rutilat CRVCE, *cui ſubire gaudet*
Felixq́ Sydus, fulgidiq́ Montes.
Cæca ſuperſtitio fugit procul ad lacus Auerni,
Vnde emicarat inquinare terras.
Nulla manent priſcæ veſtigia diluenda culpæ,
Vrbs expiata nobili eſt triumpho.
Niligenum Regum diademata, Cæſarumque lauros
Inſigne noſtra proterit ſalutis.
Piſcatoris honos, & gloria, faſtus eſt Quiritum,
Temploq́ ſeruit Imperi trophæum.
Armaſti Chriſto (Deus hoc, Deus inde iam videbat)
Auguſte vela queis Pharon petiſti.
Chriſto victor eras, collum tibi cum daret Siene,
Fuſciſq́ alumnis necteres catenas.
Inde quoque inuectus Capitolia laureata curru,
Chriſto triumphum neſciens agebas.
En prædæ, ſpolia en Mareotica dedicantur illi,

Spretis.

Spretis tuorum pægmatis nepotum.
Hæc Moles populorum ingens labor, atque ſæculorum,
Qua gens ſuperbit inſolens Canopi.
Clauigeri ante fores ſtat Principis, & Petro cruentum
A quo eſt necatus ſubijcit Neronem.
Candida ſunt TORRES hæc ſæcula, quæ benigna fata
Neuere nobis imperante SIXTO.
Non tam quod rabiem ferri comes eſt ſecuta pœna,
Pleniſq; fruges horreis redundant.
Aut quia lympha iugum Felix ſalit inter Eſquilinum,
Collemq; Thermis nobilem dicatis.
Aut laudum decora ob centum, quibus, ampliuſq; Princeps
Vrbi beatus & refulget Orbi.
Sed quoniam Pharia, & Romana iugo ſubacta Chriſti;
Chriſtiq; ſeruis cernitur poteſtas.
Hoc decus, hæc memori eſt Victoria concinenda plectro
Non fabuloſæ quo ſtrepunt ſorores;
Sed quo poſt pelagi rubri vada transfretata Moſes,
Dauid recepta quoq; plauſit arca.

QVOD tibi ſe ſubdunt homines ter Maxime SIXTE
Non ſatis eſt; lapides & tua iura ſciunt.
Saxa canunt Vates Thebas adducta per artem,
Orpheæ & ſcopulos ad chelis iſſe ſonum.
Fabula conticeat, Moles SIXTINA canatur,
Sitq; fides operi quod facit ipſa fides.

AD

Digitized by Google

AD CAMILLVM CAIETANVM
Odè.

CLARA priſcorum ſoboles Quiritum
Dulce Muſarum decus, ò & altis
Functe virtutum meritis, in æui
Flore CAMILLE.
Quo breues luces, vigileſq; noctes
Poſteris grato ſuperas labore?
Quæ doces cultas reſonare amica
Nomina cartas?
Non tuis ludens Chorus, aut profanum
Gaudeat vulgus numeris, ſed illos
Virginum cœtus, pueriq; diſcant
Rite canentes.
Chriſtus inſignis ſpolijs, CRVCISQ.
Additus ſtellis honor; atq; Petro
Dicitur SIXTVS generoſus vltor
AEthere miſſus.
Quæ truces Moles oculos Neronis
Sæpe clamoſo tenuit theatro,
Sub Petri claro religata venit
Ora triumpho.
Angulo nunc & veteri remota,
Aſpicit ſe ſe ſtupefacta circum,
Nec videt triſtem caueam, nec atram
Sanguine arenam.

At fori

Digitized by Google

At fori ſacra praeuntis AEdi
Nobilem campum, populiq; turmas
Spectat ad Patrum tumulos citato
Tendere greſſu.
Grande portentum lapidis quod olim,
Montium nunc tu decus, & trophaeum
Dixeris nullos variantis ortus
Solis IESV.
Sic in aeterni titulum Tonantis
Paſtor erexit ſilicem, ſub ALTO
MONTE, qui ſcalas, nitidiq; vidit
Limen Olympi.
Caede defunctum, patrio refixit
Sic Puer templo ſpolium Gigantis,
Quina cum torto ſonuere ſaxa
Verbere fundae.
Quid canam Virgas bene ominatas?
Siue qua fontem dedit icta rupes,
Protulit ſeu quae niueum reciſo
Stipite florem?
Qualis ad riui Platanus ſuſurrum
Surgit occulte tenues in auras,
Sic honos Diae CRVCIS inter vmbras
Creuit auorum.
Imbre quae tandem roſeo rigata
Extulit ramos ſuper aſtra, Solis
Inde complectens orientis, inde
Regna cadentis.
Lucidum vitae diadema: Quis non

Eſt minor

Digitized by Google

Eſt minor cultus meritis ? ſed illi
Auget illuſtres magis, ac magis iam
SIXTUS honores.
Cui frui longum liceat trophæis
Quæ locat; cælum repetatq́, poſtquam
MAXIMAE Mauros dare thura, & Indos
Viderit ARAE.

Immane pondus, & ſuperba quamlibet
Mireris Hoſpes intuens faſtigia,
Partemq́ tantam Montis exciſam manu;
Si qua ſit arte ſubleuata cogites
Immenſa Moles, amplius mirabere:
Ac vera fas ſi proloqui, magno licet
Teneantur ora, lumina & ſpectaculo,
Plus eſt tamen quod non vides, quam quod vides.

Ingenij Fontana tui decus iſtud, & artis
Dædaleæ quantum non meruere manus,
Te quoque tollit humo ſublimem ad ſydera ſecum,
Artifice vt non ſit altius artis opus.

AD S.

Digitized by Google

TE quoque per memores SIXTO ſubſcribet honores
Hic ſeptemgemino miſſus ab amne lapis.
Ne Patris aut pietas ſit ſæclo ignota futuro,
Aut Fontana tuus pro pietate labor.



Sede mouere ſua Molem hanc, iterumq́; locare
Viſus erat vires ſupra, hominemq́; labor.
Quodq́; ferunt animo multos verſaſſe ſuperbo,
Auſus erat Princeps tangere nullus opus.
Occupat hanc laudem generoſo pectore SIXTVS,
Et trahit in medium Regia ſaxa forum.
Aemula quæ SIXTO ſperent ſe ſæcla futura?
Non habet hoc maius Romula terra decus.
Iam ſatis eſt facto hoc ætas ſuperata parentum;
Mirari partes poſteritatis erunt.



Humana veneranda Salus, & Gloria gentis
Quæ placidum nobis CRVX facis vna Deum.
Cæſareo en SIXTVS celebratam puluere molem
Expiat, & vero ſacrat honore tibi.
Stemmataq́; aurato ſubigit gentilia trunco
Tergeminos Montes, ſydereamq́; facem.
Tu longæua ſenem ſerues in ſæcula; ſubdet
Et titulis etiam perfida Regna tuis.

Digitized by Google

AD S. CRVCEM VATICANAM

Ode.

VINDICI ſi quid petimus Salutis
Publicæ SIXTO, pariter quod illi
Proſit, & nobis, age CRVX ab ALTO
Reſpice MONTE.

Brachijs primum Dominiq; palmis
Menſa, qui purus ſceleris, tamen nos
Atro vt ereptos Acheronte, Cæli
Redderet Oris.

Verbera, & ſpinas, rigidosq; clauos
Fortis excepit, Latiæq; dextræ
Vulnus, & ſenſit medicata tetro
Pocula felle.

O Dei irato iaculo minantis
Dulce lenimen, Stygiæ phalangi
Triſte vexillum, Decus ò, piæq;
Gloria prolis.

Tu ſacro cuſtos data Vaticano,
Prima tu libas Populiq; vota,
Heſperus Soli veluti, propinquo
Præuia templo.

Supplices audi veneranda voces,
Perfer in Cælum prope cui refulges,
Poſcimus SIXTO; Pater hic tuorum, &
Auctor honorum.

DE

SANCTISSIMA CRVCE

POMPEII VGONII ROMANI

O R A T I O.

In die Feſto eius Inuentionis.

AD SIXTVM V. PONT. OPT. MAX.

INTROIVIMVS hodie, Pater Beatiſſime, in tabernaculum Domini. Adoramus in loco vbi ſteterunt pedes eius. Nam ſi prope Imperatoris tabernaculum in caſtris figi Regale vexillum, atque attolli ſolet, cur non hoc Auguſtiſſimæ Religionis ſacrarium tabernaculum Dei noſtri iure appelletur, in quo eius triumphale vexillum refulget? Vbi autem ſteterunt pedes Domini, niſi in illa, cuius hoc Templum ſedes eſt, & domicilium Cruce, in qua eos clauorum cuſpides acerbè, amoris iacula ſalutariter cō fixerunt? Obtemperatum eſt & hodie Regio Prophetæ adhortāti. Tollite hoſtias, & introite in atria eius. Adorate Dominum in atrio ſancto eius. Commoueatur à facie eius vniuerſa terra, Dicite in gentibus quia Dominus regnauit à ligno. De Cruce igitur dicere locus admonet. Sed & ad eandem concelebrandam ſolennis lætitia temporis excitamur. Hodierna enim die noſtræ ſalutis Vexillum quod inuida gentium ſuperſtitio alta tellure demerſerat, Religioſiſſimæ Auguſtæ Helenæ ſtudio ac pietate cœlo, ſolique redditum eſt. Meritò feſtum diem Crucis honoramus, per quā alij nobis omnes feſti orti ſunt dies. Meritò inuenta hac pretioſa margarita gaudet Eccleſia, cuius pretio mundus redemptus

eſt. Decet vernũ hoc anni tempus non minus ridentis ſoli vbertate, quàm ſtudijs noſtris gratulationibusq; floreſcere, quo myſtica Aaronis virga refloruit. Nam profectò, ſi cum vna terras omnes texit eluuies cara illis fuit Arca à Noe fabricata, q in ea ſuperſtites enauigarunt; ſi Virga Moſis qua diremptum mare per eaſdem vndas populum Dei ſicco pede tranſuexit quibus Aegiptiorum agmen inuoluit religiòſe in Sanctuario eſt adſeruata; ſi Gladius quo ab immani Goliæ corpore ſuperbum caput auulſum eſt, ad æternam facti memoriam honorificè poſitus in templo pependit; quantò amore, quantoquè honore ſanctam Crucem proſequi fas eſt, per quam nõ à gurgitibus tandem areſcentium aquarum corpora, ſed à perenni diluuio gehænnæ animæ ſunt liberatæ; qua nõ Pharaonicæ ſeruitutis calamitates effugimus, ſed tartareæ Tyrannidis iugũ excuſſimus; qua non Gigantis ſupra vſitatam hominis menſuram elati caput eſt amputatum, ſed contritum caput ſerpẽtis, qui contra Deum erectus pulcherrimum Dei opus humanam naturam exitiali veneno ſuæ prauitatis infecerat? O quàm in ancipiti, ac lubrico ſtetit ſalus generis humani niſi per Crucem nobis ſubuenire diuina prouidentia decreuiſſet. Tranſgreſſus enim Adã diuinum preceptũ, ſequè, vniuerſamq; poſteritatem ita iuſtæ Dei iræ ſubiecerat, vt nulla vis eſſet in homine Deum placandi, ſequè in priſtinæ integritatis ſtatum reſtituendi. Quippe offenſus infinitæ maieſtatis honor infinitus, nulla poterat finitæ creaturæ compenſatione exæquari, nec ad bona quibus exciderat ægra preſertim, & diuinæ opis indiga natura conniti vllo modo valebat. Reliquum itaq; erat vt pœnas penderemus æternas, depulſi à nobiliſſimo fine ad quem conditi eramus, Cœlo exhæredati, ad inferos amandati, morti obnoxij, comparati iumentis inſipientibus, Deo in perpetuum exoſi, atq; infeſti. Quid nos igitur tantis malis liberauit niſi Crux? Crux inquã illa quæ à Dei filio pro nobis excepta rationem induit immenſitatis, vim trahens infiniti meriti à diuina Hypoſtaſi Verbi, quod in ea portauit iniquitates omnium noſtrum. Hæc nos amiſſæ felicitati reſtituit; Hæc cœlo reddidit; Hæc ex orci faucibus eripuit; Hæc immortalitate donauit; Hæc ad veterem nobilitatem reduxit; Hæc Deo reconciliauit. Hoc remedium ſeruandi orbis humanis mentibus penitus arcanum, atq; in-

ſcruta

ſcrutabile Diuina dumtaxat prouidẽtia excogitauit, tanto altiore conſilio, atque myſterio, quòd ſummæ omnipotentiæ rationes nõ deerãt quibus aliter, ſi vellet quam per Crucem nos poſſet ſaluare. Poterat Cœli ille, terrarumque Rector qui Adamum nullis antecedẽtibus meritis è nihilo condidit, qui vitam, & vitæ commoda, & cœleſtem gratiam nobis ſponte largitur; poterat inquam & homini quoq; gratuito, & nulla requiſita ſatisfactione ignoſcere. Eiuſdem eſt enim poteſtatis, & quod ſuũ eſt alteri donare, & quod ei alter debeat condonare. Sed eſto Iuſtitia ſatisfactionem exigeret, eaque aliter preſtari nõ poſſet niſi Deus homo efficeretur; Poterat Verbum caro factũ multo mitiori pœna quàm Crux ſit ſatiſfacere. Vel algor ille Natalis noctis, tenerq; vagitus; vel ſtilla ſanguinis quam gladius Circumciſionis elicuit; vel laſſitudo ad fontẽ Samariæ; vel lachrima, vel fremitus, vel turbatio illa ad amici monumentum abundè ſufficiens pretium erant noſtræ ſalutis. Da mihi humanitatẽ quam diuina ſuſtẽtet Hypoſtaſis, quælibet eius actio meriti erit, & pretij, & ſatisfactionis infinitæ. Deniq; ſi morte volebat Chriſtus opus complere humanæ redemptionis, vt & hominem ſe declararet moriendo, & victorem mortis reſurgẽdo; an non erant alia genera mortis, niſi vt per Crucem vita crudeliſſimè priuaretur? Quinimmo alia genera mortis euitata à Chriſto uidemus Crucem verò ſtudiòſe etiam, atque ardenter expetitam. Diſtringitur in infantes Herodianus gladius; infans Chriſtus in Aegiptum ſecedit. Præcipitare eum Nazarei moliuntur è ſupercilio montis; ipſe autem tranſiens per medium illorum ibat. Tulerunt lapides Iudæi vt iacerent in eum; at ipſe abſcondit ſe, & exiuit de templo. Contra verò poſtquàm illa iniri cæpta conſilia de quibus prædixerat Ieremias, Mittamus lignum in panem eius; Tum veniſſe horam ſuam dicit, Tum ſe clarificandum, Tum proditori, Quod facis (inquit) fac cito, Tum Patrẽ ſic orans alloquitur Si tranſire nõ poteſt calix iſte fiat voluntas tua: Tunc aduentantibus crucifixoribus obuiam vltro progreditur, Tunc obmuteſcit tanquàm Agnus coram tondente ſe, & tergum patibulo ſubdens, iugum eius ſuaue, & onus ducit leue; Tunc facto principatu ſuper humerũ eius, quaſi opima gerens ſpolia Golgotha inuehitur. Illic in amplexum Crucis brachia aperit, & extendit; Imo verò (quid

amplius

Digitized by Google

amplius dici poteſt?) clauis ei acutis adfigitur, ſudorē cum ea, et ſanguinem ſuum miſcet; tanquàm in ſtatera libretur in ea attollitur, perq; eam mundo, quem ex omni parte circumſpicit oſtentatur. En hæc eſt illa Crux, quæ ſcandalum Iudæis, & ſtultitia gentibus, vocatis à Chriſto (vt ait Paulus) Virtus Dei eſt, & Sapientia. Scandalum eſt Iudæis Crux Meſſiam expectantibus, qui facili quadam clementia hominibus delicta condonet; Imo verò qui eis theſauros, ac delitias afferat, riuos melle ac lacte decurrentes educat, Regni mortalis ſcæptrum reſtituat, templi molem magnificā ex mortuis lapidibus excitet. O miſeros, & in vindictā Crucis miſeros. Næ illi, ſi terrena ſapere deſinant, & Benedictum lignum, & Pendentem vitam, & Expanſionem, manuū, & Foſſionem item manuum, ac pedum, & Transfixionē lateris, & Spineam coronam, & Fel, & Acetum, & Sanguinem, & Sepulcrum; & quæcumq; Crucem venerabilis dolorū pompa circumſtat in ſacris libris animaduertant. Quid mirum igitur ſi hac palma Victoriæ ſibi propoſita, exultauit ſtatim Chriſtus vt Gigas ad currendam viam? Sic enim neceſſe erat impleri omnia, quæ ſcripta ſunt à Moiſe, & prophetis, & pſalmis de illo. Fuit, fuit quondam hæc ſalutaris Arbor ludibrio gētibus, cum nondum ſub umbra illius ſediſſent, & deguſtaſſent fructus eius dulces gutturi ſuo. Obiectum eſt Chriſtianis aliquando, quòd hominē, & ab hominibus inſigni ſupplicio affectum, atq; excruciatum colerent. Declaratum eſt eundem eſſe Deū, quem immenſa vis amoris ad Crucem pro nobis ſubeundam attraxiſſet. Obiectum eſt quaſi abſurdum dogma, vt atrociſſimo ſcelere quod in homine necando committitur, hominum peccata diluta aſſerantur. Declaratum eſt non homicidarum ſcelere, ſed Chriſti virtute in perferendis malis deleta eſſe peccata. Obiectum eſt iniuſtum iudicium videri, vt innocens pro nocentibus patiatur. Intellectum eſt non aliter diuinæ iuſtitiæ ſatiſfieri potuiſſe, niſi vt qui non debebat pro debitoribus ſolueret. Agnoſcimus in Cruce Dei ſapientiam, qui cum figuraſſet hominem in forma Crucis, in eadem eum voluit reformare: Qui ad leniendam iram ligno inobedientiæ promeritam, ligno vſus eſt obedientiæ: Qui ad ſatisfaciendum pro execrationibus noſtris, ſupplicium in ſe ſe vertit execrabile: Qui erecturus hominum mentes

ad

Digitized by Google

ad cœleſtia, inſtrumentum aſſumpſit quod terræ defixum in ſublime extollitur ; Qui editurus mundo pulcherrimarum virtutum exempla, id genus mortis elegit, in quo propter inſignem contemptum, doloresq; acerbiſſimos, maxima Humilitas, ſumma Patientia, infinita Caritas eluceſceret. Confitemur virtutē Crucis, in qua Mors morte ſuperata eſt, per quam deletum Chirographum peccati, quæ Deum placauit homini, quæ Dæmonis potentiam infregit, Mundi ſuperbiam calcauit, Idola ſubuertit, Veritatem illuſtrauit, Cœlum aperuit, Angelos exhilarauit, Deum glorificauit : quæ deniq; extremo aduentante iudicio, tum cum Sol vertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem, & Stellæ non dabunt lumen ſuum (ſuccollantibus Angelis illuſtre Trophæū omni ſydere fulgentius) emicatura eſt inter nubes, ad electorum ſpem, ac ſolatium, ad terrorem, & exprobrationem impiorum. O beata, ò glorioſa Crux. O iure à Conſtantino vexillis præfixa, ab Helena templis honeſtata, ab Heraclio armis, & ſanguine repetita, quæ noſtri ſanguine Redemptoris immaduiſti. O meritò à ſupplicio facinoroſorum tranſlata ad frōtes Imperatorum, atque Pontificum, quæ facinora noſtra expiaſti. O digna, cuius ſimulachrum Principum pietas quam proximè aſtris collocet, quæ nos ſyderibus inſeruiſti. O pretioſum monile. O ſignaculum noſtri pectoris; Digna quæ argento reddaris, quæ auro præfulgeas, quæ pretium gemmis augeas. Offendatur licet Iudæus, Derideat Gentilis, Diſrumpatur Hæreticus; Nos te ò Sanctiſſima Crux, inſtrumentum noſtræ ſalutis amplectimur, Vexillū propagatæ Religionis attollimus, pretioſi ſanguinis receptaculum, ac torcular, & verò etiam Saluatoris ipſius expreſſam imaginem, diuini cultus veneratione adoramus.

LAVS DEO.

POMPEIVS VGONIVS
CANDIDO LECTORI S.

NEque mirari te, ac multo minus offendi (candide Lector) velim, ſi noſtra de Sanctiſſima Cruce Oratio, non ad exactam Latinæ, ac Ciceronianæ præſertim elocutionis normam limata, ac perpolita videbitur. Scripſeram illam anno ſuperiore, vt inter Sacra Pontificia habendam, in Auguſtiſſimo templo eidem Sanctiſſimæ Cruci dedicato. Quare, & dignitatem argumenti, & loci, temporis, Auditorij grauitatē præ oculis habens, nihil me præter decorum facturū exiſtimaueram, ſi profanæ eloquētiæ flosculis paulisper neglectis vbi omnia ſacra erant, ſacrum eo quoque, & Eccleſiaſticum ſtylum afferrem. Animaduerti enim à grauiſſimis, & prudentiſſimis viris huic quoque dicendi generi, quod varijs diuinarum literarum ſententijs, verbiſq; de induſtria contexitur ſuam laudem non denegari. Ergo & ipſe qui alijs locis, ac temporibus religiosè cauere ſoleam ne violare candorem Latinæ lingua videar, ad cuius ſtudium copioſa oratione nuper in Romanum Gymnaſium adſcitus Romanam iuuentutem ſum adhortatus, certè inter ſacroſancta ſacrificia vbi, vt Bernardi verbis vtar, os noſtrū conſecratum eſt Euangelio, nunquam mihi Euangelium, diuinaſq; voces erubeſcendas putauerim. Neque tamen Orationem hanc edere auſus eſſem, teretes alioquin, doctorum, & eloquentium virorum aures veritus, niſi quoniam cum ſuperiorum carminum argumento congruebat, vt illam emitterem, & amici ſuaſiſſent, & ij mandaſſent quibus negare quidquam ſine maximo ſcelere non poteram. Te igitur quiſquis es, ad cuius hæc manus peruenerint etiam atque etiam rogo, beneuolum te vt mihi patronum potius, quàm ſeuerum arbitrum præbeas, ſtudiaq; noſtra qualiacumque ſint, æqui boniq; conſulere ne graueris.

Vale.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google